

tinuo non acquevimus carni et sanguini, non timentes scilicet ubi non erat timor, sed de Dei misericordia confidentes, hoc crebro et diu habuimus in precibus nostris, hoc in desideriis nostris, hoc in jejuniis et nostris afflictionibus, ut besigna Dei pietas gloriosum corpus pii Patris Euvurii famulis suis revelaret his temporibus nostris. Misertus est nostri Dominus, et desiderium pauperum suorum exaudivit. Nam quod petebamus accepimus, quod querebamus invenimus, apertum est nobis ubi pulsabamus. Sæpe quidem domini et Patres nostri qui-cunque pene tam episcopi quam abbates orandi gratia, seu nos visendi, ut assolet, ad nos divertebant, submonebant et inclinabant pravitatem nostram, ut sine cunctatione illud singulare gaudium nostrum quereremus. Sed et dominus Sugerius abbas Sancti Dionysii, vir alti consilii et prudentiae excellentis, cum die quadam Aurelianis venisset, ducius est a nobis in secretarium quoddam ecclesie nostrae, quod post altare gloriose Patris Euvurtii quadam parietis interclusione ab accessu publico erat seclusum, Ostendimus ei thecam quamidam magnam ligneam, quæ deliceps super ipsius sancti venerabile sepulcrum ab antiquo sita est, in cuius fundo longus quidam et subniger lapis, quem acblesiam (sic) vo-

A cant, qui ad nihil aliud quam ad clausoram seperi videtur preparatus, magnum magni thesauri absconditi indicium praestabat intuenti. Tum ille, hic est, inquit, hic querite, quia hic invenietis. Et adjecit: Nolite differre; exaltate Deum, et exaltatus exaltabit vos (*Psal. xcvi*). Collegimus audaciam non solum de tanti Patris oraculo, sed et de revelationibus ad fratres nostros facili, necnon et de miraculis aperte in conspectu nostro patratis; et ad sacræ pausationis locum, præmisso jejunio et oratione generali, feria sexta hebdomada: tertiae adventus Domini, nocte imminentie, cum paucis fratribus accessimus; dehinc sedentes, duos sarcophagos non longo a se intervallo alterum super alterum invenimus, qui et ipsi erant intra quatuor parietes al- B trinsecus sibi oppositos, pulcherrimos quidem, et ex laterculis pictis compositos clementio optimo piano et rubeo litos. Primo sarcophagorum vigilia natalis Domini post missam secrete aperito, nihil prouersus in eo invenimus. In inferiori autem die natalis Innocentium, post matutinas, quod querebatur inventum est. Porro a religiosis personis id sancti consilii accepimus, ut celebris illa tam sancti corporis exaltatio, seu de loco in locum translatio usque ad adventum domini regis differretur.

ANNO DOMINI MCCLXXXI

GUALTERUS PRIOR S. VICTORIS PARISIENSIS

NOTITIA

(FABRIC., *Biblioth. mea. et inf. Lat.*, ed. Mansi, t. III, p. 118.)

Gualterus, prior S. Victoris Paris., scriptor quatuor librorum multa scitu digna continentium quorum exempla bina mss. in biblioth. S. Victoris Paris. vidisse se testatus est Lauvojas *De paria Aristotelis fortuna* cap. 3, pag. 29: *Contra manifestas et damnatas etiam in conciliis haereses, quas sophistar Abaelardus, Lombardus, Petrus Pictavinus et Gilbertus Porretanus, quatuor labyrinthi Francie, uno spiritu Aristotelico affuti, libris sententiarum suarum accunt, limant, roborant.* Vixit. circa annum 1180. Vide Bulzeum tom. II *Hist. Academ. Paris.*, pag. 404-629. Mabillonius in *Analectis*, pag. 54 nov. edit., meminit libri hujus Gualteri (1), quem non priorem, sed abbatem nominal, sciipsisse vero ait libros quatuor contra quatuor labyrinthos Francie, id est Abaelardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictavensem et Gilbertum Porretanum; refert etiam ibi fragmentum ex eodem libro desumptum de Abaelardo MANSI.¹

(1) *Patr. t. CLXVI*, in Abbaudo. Vide etiam notas D. Malboud ad Robertum Pullum, *Petr. t. CLXXXVI*, col. 1047 et 1062.